

DELINEATIO HISTORIAE SCIENTIARVM OECONOMICARVM QVATENVS VT ACADEMICAE CONSIDERANDAE SVNT

QVA

SVB AVSPICIIS

PROFESSIONIS OECONOMICAE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

CLEMENTISSIME FVNDATAE

AD AVDIENDAM ORATIONEM ADITIALEM

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

D. VI. IVNII A. C. CIƆ IƆCC LXIIII.

OMNES

QVIBVS HVIVS VNIVERSITATIS INCREMENTVM

ET ORNAMENTVM SCIENTIARVM

CVRAE CORDIQVE EST

HVMANISSIME INVITAT

D. DANIEL GOTTFRIED SCHREBER.





Oeconomica complectitur principia publicae pariter ac priuatae oeconomiae, ſimulque docet, quomodo illa principia legitima ratione et vtiliter applicanda ſint. De huius ſcientiae momento, pretio ac dignitate diſſerere propterea ſuperfluum puto, quod et res ipſa pro ſe loquitur, et multi iam antea copioſe ſolideque cauſam iſtam publicis ſcriptis egerunt. Alia ratione nunc eandem conſidero, dum illam vt antiquiſſimam atque recentiſſimam ſcientiam ſimul ſpecto. Antiquiſſima eſt, ſi reſpiciamus 1) ad generale principium; quod ipſe deus O. M. poſuit, primum hominum parentem omnesque eius poſteros his verbis allocutus: In ſudore vultus tui panem tuum comedes; 2) ad principiorum oeconomicae applicationem, quae eadem cum conditis ciuitatibus eſt aetate; 3) ad quasdam eius partes, maxime ad oeconomiam ruri exercendam, et ad politiam pertinentes, prout illae ſcriptis expoſitae ſunt.

Mitto ea, quae de rei familiaris atque publicae adminiſtratione apud antiquiſſimas nationes, in primis apud dei quondam populum ſcripta ad nos peruenerunt, et quae veteres Graeci, Aegyptii, Romani literis conſignarunt. Namque

mihi propositum non est, vniuersam harum scientiarum historiam exsequi. Systematicam modo tractationem omnium partium, quibus illae continentur, et rationem eas in academicis praelectionibus publice docendi contemplor, quo nomine oeconomica recentissima scientia dici meretur. Etsi iure meritoque queratur COLVMELLA de neglecta priori parte oeconomicae apud suos, quae rusticae rei administrationem continet; tamen euentus docuit, surdis ab eo narratam fuisse fabulam.

Epocha I.

Scholarum altiorum forma saeculo A. C. N. duodecimo talis constituta est, vt ab eo demum tempore vniuersitates literariae, hoc est eiusmodi societates eruditae recte vocarentur, in quibus omnia scientiarum genera docendo discendoque tractari possent.

Postea scientiae quatuor classibus, quae facultates appellantur, descriptae sunt, in quibus oeconomicis, nomine tantum in philosophica relictus est locus. Quo tempore si prodiisset alter COLVMELLA Germanus, et ciuibus suis vtilitatem atque necessitatem eruditae practicaeque institutionis de agricultura, deque aliis oeconomiae agrestis partibus persuadere studuisset; frustra tamen et hic laborasset. Haud obscurae quidem causae sunt; sed consilii mei ratio, eas hoc loco paucis referri, postulat. Alii iam, historia consentiente, illas ita exposuerunt, in condendis academiis auctoribus earum nihil minus propositum fuisse, quam vt homines prudentiores redderentur; primos professores fuisse monachos, qui toti fuissent occupati in Aristotelica scholasticaque philosophia tradenda, quae non ad euehendas, sed ad deprimendas scientias oeconomicas vim haberet. Vti omnes disciplinae ad stabiliendam ecclesiasticam Romani episcopi monarchiam formatae fuerint: ita eas maxime e numero reliquarum exemtas, exterminatas et exauctoratas, quae viderentur cum socordiae, pigritiae ac torpori monachorum, tum supremo papae dominio contrariae.

Non defuerunt quidem omni tempore ſcientiarum patroni ac defenſores: ſed media illa aetate eorum non larga ſeges fuit. Perpauci admodum reperiuntur priuatae ſaltem oeconomiae cognitione quadam inſtructi. Exeunte ſaeculo XIII. PETRVS de CRESCENTIIS *ruralium commodorum* libros CAROLO II. regi Siciliae dedicauit. FRANCISCVS PETRARCHA, qui anno ſeptuageſimo quarto ſaec. XIIII. deceſſit, defectus ac naeuos in omni republica literaria ſatis animaduertit, ac temere immeritoque ſupprimi oeconomicam, probe perſpexit. Ipſe rei oeconomicae deditus *Bucolica* ſua literis conſignauit. Verum haec ſunt omnia, quae pro vindicando ſtudio oeconomico ſcripta ex omni illo aeuo inueſtigare mihi licuit. Si quis plura nouerit et mecum communicare velit, illi me gratiſſimum fore profiteor. Talis ergo erat facies oeconomicae in academiis tempore Romanae tyrannidis. Tum ne licuit quidem eam ſcientiam ſcriptis aut voce proponere, etſi fuiſſent homines, qui alterutrum praeſtare potuiſſent.

Epocha II.

Accedo ad illud temporis ſpatium, quo pulſis tenebris lux effulgere coepit, nempe quo deus ipſe, miniſtro D. LVTHERO, ſacra repurganda curauit, arduumque illud ac ſaluberrimum negotium, licet omnem contra lapidem mouerent eccleſiae ac veritatis hoſtes, glorioſa mirabilique ratione perfecit. Hoc opere peracto non modo ſyſtema politicum in Europa; ſed etiam res literaria in academiis, praecipue in regionibus euangelico lumine colluſtratis, longe aliam faciem induit. Ipſe beatus LVTHERVS de oeconomia non minus et de oeconomicis diſciplinis, quam de politia variis nominibus praeclare meritus eſt, dum et machinationibus clericorum pontificiorum, quibus hominibus odioſam reddere volebant vitam ciuilem atque oeconomicam, fortiter ſemet oppoſuit, et iuuentutem omnemque populum ſaepe ac diligenter adhortatus eſt ad hoc vitae genus colendum. Etſi vero ab eo tempore melius ſaniusque iudicari coeptum eſt de rebus oeconomicis; non potuit tamen oeconomica inter artes atque ſcientias, quae in academiis habitant, ius quaſi genti-

litatis obtinere. LVTHERO mortuo cura emendandae atque ordinandae rei ſcholaſticae praecipue mandata erat MELANCHTHONI, cuius auctoritate profeſſio doctrinae phyſicae, ad fundamenta oeconomicae pertinentis, publice inſtituebatur. Praeterea, qui triumuiri reipublicae literariae vocantur, ERASMVS, BVDAEVS et VIVES, cum damna ex omiſſo ſtudio rerum oeconomicarum animaduerterent, illis ſarciendis operam dederunt. Sed nec his patronis oeconomicae ſuus honor conciliari potuit.

AVGVSTVS Elector Saxoniae, religioſiſſimus ſapientiſſimusque princeps, verus patriae parens, primus fuit omnium Germanicorum principum, qui regulas oeconomicas in his terris obſeruari publico ſcripto iuſſit. Idem AVGVSTVS A. C. CIƆIƆLXXX. in hac vniuerſitate primus inſtituit profeſſionem politicae, quam ſcientiam ipſe ſuo exemplo non parum locupletauit legibus atque inſtitutis optimis. Oeconomicae inter alia quoque inſeruit botanica, cui etiam AVGVSTI ſapientia proſpexit, conceſſo huic academiae eodem anno et doctore et horto botanico. Felici hoc aeuo praeterea plura emolumenta acceſſerunt ad oeconomicam. Cum ipſi eruditi admodum rudes eſſent in doctrina rerum ruſticarum et ciuilium; veteres apud Romanos ſcriptores oeconomicos euoluerunt, eorumque varias procurarunt editiones. Et iam ante exitum illius ſaeculi quidam aggreſſi ſunt erudita ratione tractare oeconomiam, quae in agris exercetur, variasque eius particulas. Sed omnes illius aetatis ſcriptores non tam ipſam oeconomicam, quam eius quaſi propaedeumata tradiderunt, quae inſuper non ad vniuerſam ſcientiam, ſed ad ſpeciales ſaltem eius materias referuntur. Et in ipſis his ſcriptis fere nullum erat idoneum, ex quo principia priuatae oeconomiae, ac ne primae quidem partis agriculturam continentis addiſci poſſent. Ad accuratam doctrinam vniuerſae ſcientiae oeconomicae nondum matura erat politica ipſorum ſtatuum ratio. Academici eruditi ab vſu atque experientia in hoc genere plane inſtructi non erant. ICtis vterque receptus legum codex, et caeſareus, et pontificius, medicis HIPPOCRA-

TES et GALENVS, et philoſophis ARISTOTELES, tam multum negotii faceſſebant, vt ipſis integrum non eſſet ignotam hanc in academiis ſcientiam excolere, adeoque in hac epocha non poterat oeconomica in academiis doceri.

Epocha III.

Saeculo XVII. politicus et oeconomicus ſtatus ciuitatum, praeſertim in Germania, ita informatus erat, vt bello tricennali compoſito tempus adeſſe videretur docendi ac diſcendi ea, quae ad comparandam, conſeruandam et amplificandam ſalutem ſtatuum requirerentur. Iam ab initio philoſophiae inſignis illa mutatio facta fuerat per reſtauratorem eius in Britannia VERVLAMIVM, qui et ipſe de oeconomica praeclare promeritus eſt, et de melius inſtruenda rerum adminiſtratione multa ſaluberrime monuit. Porro oeconomica generalis ac ſpecialis non minus, quam ceterae ſcientiae, hoc ſaeculo literis tractata eſt. Multi ſcriptis illuſtrarunt ſcientias fundamentales, nempe mathematicam, phyſicam, politicam, nec non chemiam; adeo vt doctores academici inde facile intelligere potuiſſent, oeconomicam etiam ad forum ſuum pertinere, et in qualibet eius parte ex ipſa rerum natura atque experientia principia certa abſtrahi, omnesque partes legitimo nexu copulari poſſe; praeſertim, ſi ipſis placuiſſet res oeconomicas, quae vſu atque experientia continentur, tractare, cuius rei facultate nulla academia deſtituta eſt.

Accedit, quod eruditi viri publice declarauerint, ſe nihil magis in votis habere, quam vt principia oeconomicae perfecto quodam et accurato ſyſtemate comprehenderentur, quod poſſet academicis praelectionibus commode inſeruire.

Sed hoc etiam ſaeculum ſolis praeparationibus ac piis deſideriis defluxit: et vt academici in epocha priori non audebant, in altera vero non poterant, ſic in tertia nolebant operam ſuam ad incrementum huius ſcientiae promouendum conferre, cuius rei ratio eruditos non fugit.

Equidem non prorſus negabo, oeconomicae neglectum quodam modo ab iis dependere, penes quos eſt ſuprema rei ſcholaſticae cura, et inſtitutio profeſſionum in academiis; ſed

re diligentius examinata, illius neglectus caussas maxime in ipsis academiis resedisse, patebit. Profecto non adeo difficile fuisset, oeconomicas professiones ordinare, si modo adfuissent professores.

Epocha IIII.

Progredior tandem ad hoc nostrum saeculum. Initio eius scientiae omnes et cum iis artes, rerum manu factarum officinae, et commercia singularia ceperunt incrementa, et de his aliisque obiectis oeconomicis scriptorum numerus mirum in modum auctus est. Plurimos tales viros omni laude dignissimos commemorarem, qui varios apparatus ad perfectum aptumque scientiarum oeconomicarum systema congesserunt, nisi id in hac breui delineatione nimis longum foret. Longius nunc, quam antea, progressi erant, qui in describenda ordinandaque politica atque oeconomica ratione rerum publicarum versabantur. Institutiones, leges et ordinationes eo spectantes non ignotae manebant. Doctores academici summa oeconomicae melius perspecta, omnes eius partes suis fundamentis niti, ipsasque bene inter se cohaerere, videbant. Prae ceteris illius temporis eruditis oeconomica multum sane debet studiis et auctoritati illustris THOMASII, qui non solum scriptis libris et praelectionibus ad eam excolendam viam muniit; sed rem etiam ad regem potentissimum retulit, qui, cum ipse summus aeui sui oeconomus esset, primus oeconomicam in academias introduxit, nomenque suum vel ideo immortalitati consecrauit. Anno huius saeculi vicesimo septimo FRIDERICVS GVILIELMVS gloriosissimae memoriae, Halae et Francofurti ad Viadrum primos professores oeconomiae et cameralium creauit, Halae quidem GASSERVM, Francofurti DITMARVM viros clarissimos, qui nouo muneri suo et scriptis, et praelectionibus satisfacere studuerunt.

Paulo post exemplum regis Borussorum secutus FRIDERICVS rex Sueciae, anno tricesimo saeculi praesentis Rintelii inter alias scientias retulit quoque oeconomicam, quae ibi regio iussu publice doceretur, opera FVRSTENAVII V. Cl. qui etiam institutionem oeconomicam publicauit. Tum idem rex gloriosс.

mem.

mem. in academia Vpſalienſi primum condidit profeſſionem oeconomicam, anno quadrageſimo primo, et profeſſorem oeconomiae et commerciorum eſſe voluit ANDREAM BERCHIVM, profeſſorem Iuris, qui hodienum muneri illi cum ſumma laude praeeſt, ſcriptisque ſuis permultum contulit ad huius ſcientiae augmentum. Quantum ad oeconomicarum ſcientiarum incrementum et ornamentum contulerint regni Suecici ordines illuſtriſſimi, multique et dignitate et doctrina praeſtantes viri, in primis qui academiae ſcientiarum adſcripti ſunt, id Germaniae quoque innotuit. Et ex his laboribus vnitis in re politica et oeconomica maximi fructus redundarunt ad regnum Suecicum. In reliquis duabus illius regni academiis decem annis poſt oeconomicae profeſſiones fundatae ſunt, quibus obeundis VV. Cl. KALMIVS et HARMENS admoti ſunt, quorum prior oeconomicam multis egregiis ſcriptis locupletauit. Tandem BORGSTROEMII munificentia Vpſaliae conſtituta eſt profeſſio oeconomiae practicae, quam ornat eruditio M. I. A. LASTEOMII.

In noſtra vniuerſitate literaria illuſtris ZINKIVS ante hos viginti annos priuatim docere coepit oeconomicas ſcientias, easque variis ſcriptis amplificauit et illuſtrauit, in hoc negotio eo felicius progreſſus, quoniam iurium atque philoſophiae peritiſſimus et in rebus cameralibus exercitatiſſimus erat. Sed anno quadrageſimo quinto hinc a ſereniſſimo Brunſuicenſium duce auocatus abiit Helmſtadium, et Brunſuigae ſcientias camerales in collegio Carolino docere iuſſus eſt, quod munus hodienum felici ſucceſſu exſequitur.

Anno quinquageſimo ſecundo auſpiciis caeſario-regiis Viennae in collegio Thereſiano munus docendi oeconomicas cameralesque diſciplinas illuſtri a IVSTI demandatum erat; ſed cum ille paulo poſt inde diſceſſiſſet; inſtitutum iſtud aliquamdiu interruptum fuit, donec anno ſuperiore ill. IOSEPHVS a SONNENFELS idem munus ſuſciperet. Eodem etiam anno in academia Pragenſi profeſſionem rerum metallicarum inſtitutam et THADDAEO PEITHNERO V. Cl. demandatam, cognouimus.

Summus ille maecenas, cui Göttingensis academia suam originem pariter ac incrementa accepta refert, iam ab initio, ne in academia bene constituta deesset occasio, vllam vtilem scientiam discendi, oeconomicae quoque prospexerat, designato illius professore celeberrimo Architecto, PENTHERO, et post eius mortem, clariss. MEYERO; sed neuter eorum rem istam aggressus est. Anno quinquagesimo quinto illustris a IVSTI edito praeclaro opere: die Staats-wirthschaftswissenschaft, oder systematische Abhandlung aller ökonomischen und Cameralwissenschaften, inscripto, ibidem per aliquot annos in scientia camerali auctoritate regia studiosam instruxit iuuentutem. Postquam vero iterum Göttinga discessit, quod factum anno 57. locus ab illo relictus vacuus mansit. Anno 59. huius saeculi Daniae rex potentiss. singulare institutum, quo in regni sui prouinciis augerentur atque excolerentur oeconomicae scientiae, perfecit, et sub praeside illustrissimo physicam atque oeconomiam doceri iussit.

Cum ante hos quatuor annos serenissimus dux Megalopolitanus conderet academiam Büzouiensium, optimus ille princeps me, qui tum Halae in profitenda camerali scientia occupatus eram, vocauit, vt professorio titulo eandem ibi docerem. Vt in isto munere mihi succedat eiusmodi vir, qui velit et possit omnia conferre ad explendum vere paternum desiderium serenissimi conditoris academiae Büzouiensis, ex animo opto. Haec ergo sunt, quae adhuc innotuerunt de scientiis oeconomicis publica auctoritate inter academicas receptis.

Quod vero earum professores publici nondum in omnibus vniuersitatibus literarum constituti sint, nec omnium eorum, qui hunc laborem aggressi sunt, incepta felicem habuerint successum, eius rei causa nunc non amplius in defectu systematum, aut docentium quaerenda videtur; saltem si, quae ad hoc tam salutare negotium necessaria sunt, a superioribus compararentur, ego theoreticos et practicos professores non defuturos arbitror. Ab anno huius saec. 27. qui vere natalis oeconomicarum professionum fuit, permulti passim doctrina ex hoc genere satis instructi exstiterunt, qui facile et cum fructu istas scientias iuuentuti tradere potuissent.

Necessitas saepe communis populorum vtilitatis curam excitauit, vnde diuinis auspiciis, a quibus res cum secundae, tum aduersae imperiorum dependent, optimi effectus consecuti sunt. In medio bello nuper proceres Britanniae minoris curas cogitationesque in eo defixas habebant, vti prouincia illa propter neglectam oeconomiam prorsus debilitata recrearetur. Testis est liber, vernacula nobis lingua etiam impressus, titulo: die Ackerbauschule, et alii. Et prope instare videtur tempus, quo post tantas praeparationes in Gallia pariter, ac reliquis Europae regionibus, vbi in honore habentur scientiae, factas, oeconomica, vel cathedris illi in omnibus academiis ponendis, vel singularibus illius societatibus conciliandis, a contemtu vindicetur. Omnia tamen referuntur ad diuinam gubernationem. Si deus regionem quandam florentissimam efficere vult, primo viros bonos patriae amantes excitat, qui aut ipsi, quae ad salutem publicam spectant, pro viribus adhibent, aut eandem optimis consiliis summis principibus commendare solent; deinde gubernaculis reipublicae tales principes admouet, qui potestate sua non vtuntur, nisi ad locupletandas ornandasque prouincias sibi subiectas.

Patria haec mea dulcissima haud longo temporis interuallo semel iterumque summas belli calamitates, prae reliquis Germaniae prouinciis, experta est. Celebretur nomen domini dei nostri, qui gladios in vomeres, et hastas in falces vertendo, tot aduersis aliquando finem facere voluit. Procul ab hac patria mea degens tam optatam rerum commutationem ego laetissima mente contemplabar. Nunc praesens ex animo iis accedo, qui nunquam cessabunt laudare deum O. M. qui aeque formidabilis est in exercendis iustis suppliciis, ac facilis veniaeque paratus, et ad auxilium miseris ferendum propensissimus.

Inter maximas illas occupationes, quibus status Saxoniae oeconomicus prorsus collabefactus iterum firmaretur, oeconomicae quoque ratio habita est ita, vt ad eam promouendam publica cathedra in hac academia poneretur. Mense Iulio anni superioris praeter omnem spem atque exspectationem meam hoc munus mihi primum deferebatur: tribus mensibus exactis

 diui

diui FRIDERICI CHRISTIANI, S. R. I. Electoris ſereniſſimi regia celſitudine, patriae patris indulgentiſſimi, cuius memoriam nulla vnquam obliuio in cordibus Saxonicis obliterare poterit, decretum ſignificabatur, et menſe Martio huius anni ſcriptae publice literae mittebantur, quibus ad has partes ſuſcipiendas inuitabar.

Etſi igitur meae infirmitatis mihi conſcius, alii digniori hunc locum lubentiſſime relicturus fuiſſem; parendum tamen putaui Superiorum voluntati, quae mihi merito pro lege eſt. Quare et ſola fiducia dei O. M. cuius in hac cauſa vim flexanimam luculentiſſime cognoui, commotus, accedo ad capeſſendum illud munus, diuinitus mihi demandatum. Summa veneratione colo clementiam trium maximorum principum Saxoniae, qui profeſſionem oeconomiae ordinariam Lipſiae inſtitutam ad me clementiſſime detulerunt: quam ita, bono cum deo, obire ſtudebo, vt conſilio ſummi magiſtratus ſatisfiat, et ſtudioſa iuuentus, me duce et comite, ad vitam politicam pariter atque oeconomicam bene inſtituatur.

Sed quae de memorabili hac inſtitutione breuiter hoc loco indicaui, ea oratione ſolenni pluribus exſequar, in qua *damna, quae ex neglecta in academiis diſciplina oeconomica* neceſſario conſequuntur, exponere conſtitui. Ea in auditorio philoſophico bono cum deo habebitur d. VI. Iunii hora ante meridiem VIIII. Ad eam audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS IVVENES, ACADEMIAE CIVES, ea, qua decet, obſeruantia atque humanitate inuito. Scrib. Lipſiae d. XXII. Maii, A. C. CIↃ IↃCC LXIIII.

LIPSIAE,

EX OFFICINA IACOBAEERIA.